

illo omnes; » ac mox Christum consecrasse nar- rat, dicendo: « Hic est sanguis meus novi Testa- menti, » cum certum sit ex Mattheo et Luca, prius Christum sicut consecrasse, deinde Apostolis bibendum dedisse: alioqui Apostoli bibissent merum vinum, non sanguinem Christi.

Nota: Christus panem consecratum in tredem- cim partes divisit, quarum enam primus ipse sumpsit, cæteras deinde duodecim singulis Aposto- lis singulas sumenda. Ivisit et dedit. In calice vero utpote liquido, id fieri non poterat. Quo- circa Christus prior ex eo jam consecrato bibit, deinde eum ad bibendum dedit suo vicino, Y. g. S. Joanni, vel Petro, jubens ut ille suo vicino eundem resignaret, et ita consequenter, ut calix iret in orbem omnesque Apostoli ex eo biberent. Quare hinc non sequitur quod Hussitæ et Lutherus volunt, laicis quoque dandum esse calicem eosque communicare debere sub utra- que specie, quia sub utraque communicavit Christus et Apostoli, idque esse præceptum Christi: hoc enim præceptum bibendi, cum ait: « Bibite ex hoc omnes » (uti omni tempore intel- lexit Ecclesia), tantum pertinebat ad Apostolos, qui soli tunc presentes erant, quia Christus eos tunc consecravit sacerdotes eisque iussit conse- crare sacramentum et sacrificium Eucharistie sub utraque specie, et utramque speciem sum- mere, ut perfectum sacrificium conficiant (1). Id ergo non iussit laicis, quibus, cum non sacrifi- cium, sed tantum sumant Eucharistiam ut sacra- mentum, sufficit ut illud sumant sub una specie, quia sub ea integrum Sacramenti effec- tum fructumque percipiunt; presertim quia in tanto numero laicorum communicantium facile calix effunderetur, et sanguis Christi eo conten- tus in terram diffunderet, quod magis foret irre- verentia. Simili modo præceptum Christi dicen- tis: « Hoc facite in meam commemorationem, » qua parte consecrationem respicit, ad solos per- tinet sacerdotes; ad laicos vero tantum spectat quoad panis consecrati sumptionem, ut patet. Præceptorum enim, cum plura miscentur, varie- tas limitanda est et distribuenda juxta conditio- nem personarum et mentem legislatoris, qui hic est Christus, cujus interpret est Ecclesia.

Laicis sufficit una species Eucharistie: cor?

(1) Apposita hæc nostri Interpretis ratiocinatio, nec levis momenti adversus Protestantés, qui Missæ sacrificium impugnant. Si enim Eucharistia ad id solum institueretur, ut illius essentis participes per communionem, supervacua esset Christi præsentia sub specie vini. At Eucharistia est simul et primo loco sacrificium mystice et increante offerendum ad representandum et conti- nuandum visibile et eventum crucis sacrificium; divisio autem specierum, panis scilicet et vini, optime figurat representatque separationem sanguinis Christi a corpore. Hæc ratio calicis ad sacrificium causa est cor soli sacer- dotes qui offerunt, non vero populus, calicem bibere tenentur: populus proprie non offert, sacrificium tantum participat et communicat, nec aliud requirit hujusmodi participatio nisi ut Christus sub una specie recipiatur.

Notat S. Cyprianus (vel quisvis est auctor), tract. De Cena Domini, olim sanguinis animalium esum potumque vestium fuisse Judæis, ut patet Hebr. ix, 22; Levit. iv, 6 et seq. Christi vero sangui- nem a sacerdotibus jam Ibi: primo, quia Christi sanguis vivificus est; secundo, quia illo redempti sumus; tertio, quia illo spirituales effecti, animalis vitæ peccata quasi impurum sanguinem horremus.

28. HIC EST ENIM SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI (Syrus, novi fœderis), QUI PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM. — Sic et Arabicus, Persicus, Egyptianus; Ethiopius vero nervosius: Hic ipse sanguis meus, etc. q. d. In hoc calice, per hanc consecrationem meam, vinum veritur in sanguinem meum: quare in fine hujus consecra- tionis jam in eo non est vinum, sed sanguis meus, quo sancitur et confirmatur novum Testa- mentum et fœdus, mediante me inter Deum et homines initum: Christus enim hoc sanguine suo in morte mox effundendo meruit et confirmavit nobis jus et spem ad æternam hæreditatem in cœlis, quæ fuit summa et ultima Christi testatoris voluntas; atque hoc jus nobis applicant Sacra- mentum, presertim Eucharistia, sicut testamentum hæredi in eo scripto dat jus ad testatoris bona.

Nota primo: Matheus et Marcus habent: « Hic est enim sanguis meus novi testamenti; Lucas vero et Paulus, 1 Cor. xi, 25: « Hic calix novum testa- mentum est in meo sanguine; » sed idem utrius- que phrasit sensus. Christus tamen potius videtur dixisse eo modo, ut narrat Matheus et Marcus, quia illa phrasit clarior est. Vide dicta 1 Cor. xi, 25. Christus in ultima cena potius quar- in cruce, instituendo Eucharistiam, condidit et sanxit suum testamentum et fœdus cum Ecclesia. Erant enim hic presentes omnes Apostoli, qui Ecclesie personam gerebant et representabant; erat Christus liber, proximus tamen morti; erat victima et sanguis, quo sanari solent fœdera.

Nota secundo: In forma consecrationis calicis, qua jam utitur in sacrificio Missæ, adduntur hæc verba, « æterni testamenti, mysterium fidei, » quæ traditio esse accepta a S. Petro, qui nostræ liturgie est auctor, docet 1º IX, epist. ad Michaelen Imperatorem, cap. ix, et S. Thomas, III part., Quest. LXXVIII, art. 2, ad 4. Licet enim non spectent ad essentialiam formæ (ceteri id dicere videatur S. Thomas in 1 Cor. xi), unde in liturgia S. Jacobi, S. Chrysostomi, S. Clementis et S. Basilii illa omittuntur; tamen pertinent ad plenam ejus integritatem, estque hic sensus communis totius Ecclesiæ Latinæ, quæ in Missa et forma consecra- tionis calicis, hæc verba quasi a Christo dicta et ab Apostolis præcepta, eodem tenore et modo quo cætera, scribit et pronuntiat.

Ubi nota: Tº « mysterium fidei: » significat Pri- mo, sanguinem Christi sub specie vini latentem, esse rem arcanam, quæ sola fide cognoscatur et credatur. Secundo, ipsum sanguinem Christi,

Verb. 28. Luc. xxii, 20. Marc. xiv, 24.

Notanda sunt hæc memores- teristicis cal- cis.

Eucha- ristia est sacrifici- um. Prob. Eriano. Secundo.

quadens in passione effusus est, esse objectum fidei, quæ justificamur: credimus enim nos justi- ficari et a peccatis purgari per meritum sangui- nis et mortis Christi.

Qui PRO MULTIS, — id est pro omnibus homini- bus; hi enim omnes sunt valde multi; Lucas habet « pro vobis. »

EFFUNDETUR. — Græce tam apud Mattheum, quam apud Marcum et Lucam est ἐκχυθήσεται in præsentem, id est effunditur, id est offertur et li- batur, scilicet in sacrificio hoc Eucharistie sub specie vini, et paulo post in sua specie et forma naturali et sanguinis effundetur in cruce. Solebat enim sanguis victimarum in ipso sacrificio effundi, itaque Deo libari. Unde ipsa effusio vocatur li- batio vel libamen: quocirca calix hic sanguinis Christi velut libamen sacrificii Christi, effusus fuit in ora Christi et Apostolorum ejus. Atque hæc de causa sumptio et consumptio specierum tam panis quam vini, pertinet ad rationem et per- fectionem sacrificii.

Hinc ergo liquet Eucharistiam non tantum esse sacramentum, sed et sacrificium, idque uni- cum novæ legis, quod veteribus omnibus suc- cessit, illaque omnia eminenter in se continet, ideoque Christus dicitur « Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, » non Aaron, quia Aaron oves et hædos, Melchisedech vero panem et vi- num obtulit, æque ac Christus transsubstantiando illa in corpus et sanguinem suum. Psalm. cix, 4; Hebr. v, 6 et 7. Eucharistia ergo, primo, est ho- locæustum; secundo, victima pro peccato; tertio, victima pacifica; quarto, est « mincha » sive sacrificium farreum, Levit. i et seq.

Id ita esse patet: Primo, quia Christus non ait de sanguine suo, qui infunditur multis, ut Sacramentum; sed qui effunditur pro multis, ut libamen et sacrificium.

Secundo, quia Græce est ἐκχυθήσεται, in præsentem, apud omnes tres Evangelistas, id est effunditur, scilicet nunc in hæc cena et consecratione Eucharistie: ergo loquitur de præsentem sacrificio Eucharistie, non tantum de futuro in cruce, et ita legit et intelligit S. Ambrosius in Ps. xxxvii, 1. Noster tamen verit. « effundetur, » quia respicit ad sacrificium crucis paulo post futurum, in quo clarissime et perfectissime fusus fuit sanguis Christi pro peccatorum salute, cujus typus et figura erat hæc sacramentalis sanguinis Christi effusio in Eucharistia, adeoque hæc cum illa una et eadem fuit typice.

Tertio, quia Lucas, et ex eo Paulus, in conse- cratione panis, « Hoc est corpus meum, » addunt: « quod pro vobis datur, » id est offertur in sacrifi- cio; Paulus: « quod pro vobis frangitur, » scilicet tum sub speciebus panis in Eucharistia, tum proprie in seipso mox flagris et clavis ac lancea frangetur in cruce. Unde Paulus Eucharis- tiam vocat « panem quem frangimus, » scilicet in Sacramento, nimirum species panis fragentes

et comedentes ac in sacrificium Deo offerentes, sumendo illas et consumendo, quorum nihil factum est in cruce. Ergo frangere panem signifi- cat sacrificium, non crucis, sed Eucharistie.

Quarto, quia Lucas discrete habet vobis et pro vobis, id est, « hoc poculum est novum testamentum in meo sanguine, quod » scilicet poculum, « pro vobis effundetur. » Tº enim ad sacrificium referri debet, non ad libamen, cum « libati » sit « libati casus, » vero nominativi. Ergo poculum, sive calix sanguinis Christi pro nobis effusus est; atqui calix sangui- nis effusus est in Eucharistia, non in cruce (ibi enim nullus fuit calix): ergo effusio sanguinis est libamen et sacrificium.

Hinc liquet hæc magis proprie spectare ad sacrificium Eucharistie quam crucis, illudque contra Novantes evincere.

Sacrificium Eucharistie ergo est holocaustum, quia totum Christum in consecratione et manu- catione offerimus Deo. Eadem est victima pacifica, quia per illam, pacem, id est omnia bona a Deo poscimus et impetramus. Eadem est victima pro peccato, quia offertur et impetrat a Deo remis- sionem peccatorum venialium et penarum tem- poriarum, quæ peccatori restant hunde pro lethalibus ejus culpis remissis: ipsarum autem culparum lethalium remissionem impetrat me- diate, quia impetrat a Deo gratiam prevenientem et contritionem, qua illæ delentur. Vide Concilium Tridentinum, sess. 22, cap. ii. Vide et D. Thomam et Scholasticos, tract. De Eucharistia sacrificio.

Denique, sanguini Christi potius quam cor- pori tribuitur remissio peccatorum, licet utriusque competat: tum quia in veteri Testamento sangui- ni tribuitur expiatio, et in victima pro peccato sanguis ejus effundebatur; tum quia sangui- nis effusione significatur mors Christi, quæ fuit condignum pretium, expiatio et satisfactio pro morte presentem et æterna peccatis nostris debita.

Causa ergo prima, quæ movit Christum ad instituendam Eucharistiam, fuit, ut præstantissi- mum, imo divinum in lege nova institueret Sa- cramentum quo fideles cho divino pasceret, instituta. imo quo Ecclesia Deum summe et condigne coleret, ac jugiter honoraret, et latria adoraret; condigne, inquam, id est tantum quantum coli et honorari meretur Deus. Victima enim quæ in Eucharistia sacrificio Deo offertur, est immensi pretii, estque ipsi Deo commensa et æqualis. Victima enim est ipse Christus, qui tam Deus est quam homo; Deo ergo Deus ipse offertur. Quare cum omnis alius noster, utpote creaturam, cultus sit exilis et vilis, hinc Christus seipsum victimam fecit in Eucharistia, ut per illam, utpote Deo æqualem, æqualem Deo cultum impenderemus, ac tantam ei latriam et cultum exhiberemus, quanto ipse dignus est, et quantum ipse jure suo poscit. Porro, sacrificium hoc maxime consistit

Eucha- ristia est triplex sacrifici- um.

Græca. Prima ob quam Eucha- ristia instituta.

in consecratione: per illam enim Christus mystice occiditur, dum corpus ejus et sanguis seorsim sub speciebus panis et vini collocantur, uti ex S. Gregorio, Irenæo, Nysseno et aliis docet Suarez et Lessius, lib. XII *De Perfect. divinis*, cap. XIII, num. 94 et seq. «Sorsim,» intellige, quantum est ex vi consecrationis: nam, per concomitantiam, ubi est corpus Christi, ibi est et sanguis, ac vice versa.

Secunda. *Eucharistia* causa fuit, ut jugiter nobis ideam vite et passionis suæ testamento relinqueret, quas singulis jugem tante redemptionis et dignationis memoriam refricaret: in Eucharistia enim seorsim consecratur sanguis, et seorsim corpus Christi, ut significetur passio ejusdem, in qua sanguis Christi fuit effusus et separatus a corpore; species ergo vini sanguinem Christi effusum, species vero panis exanime Christi corpus representant. Hoc est quod ait Christus: «Hoc facite in meam commemorationem;» et Paulus, I Cor. XI, 26: «Quotiescumque, ait, manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.»

Tertia. Magnitudo amoris Christi erga suos fideles, qua sicut carnem nostram in incarnatione hypostatice deitati suæ univit, ita eandem cum deitate sacramentaliter in Eucharistia cuique fidei communicanti unit et quasi incorporat, ut ipse fiat divinus et quasi alter quidam Christus ac Deus. Hoc est quod de ipso Eucharistiam instituto, ante lotionem pedum ait Joannes, XII, 4: «Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.» «In finem,» tum vite, tum amoris, id est extremo summoque amore dilexit eos, dum seipsum eis in Eucharistia reliquit, ut eum semper præsentem habeant cum quo versentur, cum quo colloquantur, quem consulant, cui omnes suas difficultates, tentationes et tribulationes aperiant, opem possant et impetrent. Nam, ut ipse ait *Prov. viii*, 34: «Deliciae mee esse cum filiis hominum,» Hinc, ut canit Ecclesia ex S. Thoma:

Se nascens dedit esum,
Convalescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium:

ut summo hoc amore nos ad se vicissim ardentè redamandum alliceret, imò cogeret. Magnæ enim amoris est amor. Illi ergo totos nos demus, qui prior, cum esset Deus, totum se nobis donavit et in dies donat. Quocirca S. Cyprianus, lib. IV, epist. 6 ad *Thibar. de exhortatione martyrii*: «Gravior, ait, nunc et ferocior pugna imminet, ad quam virtute incorrupta, et fido robusta parare se debent milites Christi, considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere.» Hic fuit stimulus acer,

S. Laurentio ad ignes, S. Vincentio ad aquileas, S. Sebastiano ad sagittas, S. Ignatio ad leones, cæterisque Martyribus ad quælibet tormenta et dolores fortiter tolerandos et superandos, ut amorem amoris, vitam vite, mortem morti Christi redderent: hæc de causa ambiebat martyria, in eisque exultabant et triumphabant. Atque hic fuit effectus Eucharistie. Hæc enim ipsi robur et gaudium suggererat in omnibus tentationibus et suppliciis. Quocirca olim tempore persecutionum Christiani omnes quotidie communicabant, ut se roborarent ad martyrium, imò Eucharistiam domum deferebant illamque mane suis manibus sumebant (uti fecit nuper Maria Stuarta, Scotiæ regina, dum in Angliâ captiva detineretur, nec sacerdotem secum habere posset). Hæc de causa Christus ante passionem Eucharistiam instituit, ut per eam Apostolos ad tentationes in illa obventuras armaret.

Quarta causa fuit, ut Christus in Eucharistia daret nobis exercitium cujuslibet virtutis: in ea enim exercetur fides nostra, dum credimus totum verum Deum et hominem sub parva hostia invisibiliter, sed realiter et vere latere et contineri; spes exercetur, quia dum credimus Christum seipsum nobis dare, speramus eum et cætera, quæ longe minora sunt, daturum. Charitas exercetur, quia Eucharistia est fons amoris, quem Christus exhalat nobisque afflat ut eum redamemus. Religio exercetur, quia cum latra adoramus et invocamus, illicque sacrificamus ipsummet Christum. Humilitas exercetur, quia oculos et sensus nostros ac iudicium naturale, quæ suggerunt nobis in Eucharistia non nisi esse panem et vinum, abdicamus ac humiliter subjicimus Christo dicenti: «Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.» Gratitudo exercetur, quia per illam summas Deo pro omnibus beneficiis gratias agimus, ideoque ipsa dicta est Eucharistia, id est gratiarum actio. Abstinencia, quia non nisi jejuniis communicare fas est. Patientia et mortificatio, quia vivum utriusque speculum et calcar est Christus passus et crucifixus. Et ita de cæteris.

Tropologica causa fuit, ut carne sua divina nos pascendo et oblectando, advocaret a carne terrena ejusque deliciis et concupiscentiis, ut vitam non carnalem, sed spiritalem et divinam agamus dicamusque cum Paulo: «Vivo autem jam non ego, vivo vero in me Christus,» *Galat. ii*, 20. Ita ergo vivere, loqui, operari debet Christianus, perinde ac si non ipse, sed in eo vivat, loquatur et operetur Christus. Vivat ergo angelice: nam «panem angelorum manducavit homo,» *Psal. lxxvii*. Hinc S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi 4 Mystag.*, ait, in sacra synaxi nos fieri concorporeos et consanguineos Christi; nam, ut Christus ait: «Qui manducet meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo,» *Joan. vi*.

Porro S. Chrysostomus, hom. 36 in I ad *Corinth.*: «Ubi, ait, est Christus in Eucharistia, ibi etiam non deest angelorum frequentia; ubi autem est talis rex et talis princeps, ibi est celeste patium, imò ipsum celum.» Quocirca in Vitis Patrum legitimos de S. Ammone, quod eo celebrante angelus visus sit astare altari, et communicantes signare eorumque nomina in libro describere. S. Chrysostomus vero, lib. III et VI *De Sacerdotio*, narrat angelorum choros circa altare visos, qui inclinato capite profundam regi suo Christo exhiberent reverentiam, ac horrendos edere clamores. Cum ergo communicamus, aut Missam celebramus vel audimus, cogitemus nos Christo in ultima cæna assidere, cum eoque cenare, imò cogitemus Christum per os sacerdotis loqui, celebrare, transsubstantiare panem et vinum in corpus suum et sanguinem, illoque nos pascere et saginare: Christus enim hic est principalis agens et thaumatargus, uti docet Concilium Tridentinum, sess. 22. Unde S. Ambrosius, lib. VIII in *Lucana*: «Est corpus, ait, de quo dictum est: Caro mea vere est cibus: circa hoc corpus sunt vere aquilæ, quæ alis circumvolant spiritualibus.» Et lib. IV *De Sacrament.*, cap. II: «Bene aquilæ sunt circa altare, ubi corpus est.» Quocirca S. Franciscus, epist. ad *Sacerdotes*, quæ extat in *Biblioth. SS. Patrum*: «Magna miseria, ait, et miseranda infirmitas, quando ipsum se præsentem habetis, et aliquid aliud in mundo curatis.»

Anagogica causa fuit, ut Christus in Eucharistia daret nobis pignus, imò prælibationem et præ gustum celestis hereditatis, felicitatis et gloriæ. Unde Ecclesia, ex S. Thoma, in Officio venerabilis Sacramenti canit: «O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recollitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et future gloriæ nobis pignus datur!»

Porro, effectus Eucharistie panis complectitur S. Cyrillus Alexandrinus, lib. IV in *Joan.*, cap. xvii: «Morbos, inquit, omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat; et sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit esu.» Nam, ut ait S. Thomas: «In Eucharistia spiritualis dulcedo in suo fonte degustatur.» Hanc sentire solebat in sacra synaxi S. Franciscus, S. Monica, S. Catharina Senensis, S. Maria Oigniacensis aliique plurimi, qui voluptate celesti ebrii jubilabant, exultabant et in extasin rapiebantur, dicentes cum Psalle: «Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Quid enim mihi est in celo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum: Jesus meus, amor meus, Deus meus et omnia.»

Rursum Eucharistia est alimentum immortalitatis,

tatis, quia ejus virtute corpora nostra resurgunt ad vitam immortalem, juxta illud Christi: «Qui manducet hunc panem, vivet in æternum,» *Joan. vi*. Imprimè ergo Eucharistia corporibus nostris vim quamdam, non physicam, sed moralem, quæ est semen immortalitatis, ut ejus vi resurgamus.

Ex quibus rectè concludit S. Chrysostomus, hic, hom. 83, dicens: «Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividenter? os, quod igni spiritali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quæ sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicandem inde splendorem, hoc nos pascitur, hinc nos unimur, et facti sumus unum Christi corpus et una caro. Quis loquatur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?»

Et noster Thomas Theodidactos, lib. IV *De Imitatione Christi*, cap. II: «Ita magnum, ait, novum et jucundum tibi videri debet, cum celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens homo fieret, aut in eorum pendens pro salute hominum patere et moretur.» Unde, cap. v, colligit: «Quando angelos devotè celebrat. Deum honorat, sanctos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat et sese omnium honorum participem efficit. Quid enim bonum ejus est, quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum et vinum germanian virginum?» *Zachar. ix*, vers. ult. Vide ibi dicta.

29. DICO AUTEM VOBIS: NON BIBAM AMODO (id est ab hoc tempore: ita Syrus, *q. d. Deinceps*) DE HOC GEMINE VITIS (Arabicus, *de succo hujus vitis*), USQUE IN DIEM ILLUM, CUM ILLUD BIBAM VOBISUM NOVUM IN REGNO PATRIS MEI. — S. Augustinus, lib. III *De Consensu Evang.*, cap. 1, et ex eo Jansenius alique nonnulli, censent Christum id dixisse post cenam Eucharistie, ut insinuat hic Mathæus.

Obijcies: Genimen vitis est vinum ex vite genitum ejusque uris expressum; ergo calice Eucharistie non est sanguis Christi, sed vinum duntaxat ex vite genitum. Respondeo primo, nomen «hoc,» cum ait: «de hoc gemine vitis,» non præcise signare id quod fuerat in calice consecrato, sed in genere vinum, quod erat in mensa, ex quo calix iste repletus fuerat, tum in cæna agni, tum in consecratione Eucharistie. *Secundo*, sanguis Christi potest vocari vinum, sicut corpus Christi a Paulo vocatur panis, nimirum ratione substantiæ panis et vini, quæ prius ante consecrationem fuit, et ratione speciei panis et vini, quæ post consecrationem remanet; imò ipse species sive accidentia vini, quia nata et orta sunt ex vite, recte «genimen vitis» nuncupantur. *Tertio*, sicut quævis eca in Scriptura et a vulgo sæpe vocatur

panis, quia hic est communis omnium cibus, ita et quisvis potus vocatur vinum, præsertim apud Italos, Syros et similes, qui zytho sive cerevisia non utuntur, sed communis omnium potus est vinum.

Verum longe probabilius est Christum hæc dixisse ante institutionem Eucharistiae, de cena et calice agni paschalis: in agni enim cena circumferebatur calix vini, quem paterfamilias primus libabat, deinde mittebat in orbem ad omnes ex agno comedentes, et tradunt Hebræi. Id ita esse probatur, quia id disertè assertit Lucas, qui utramque Christi cenam, id est tam agni quam Eucharistiae (quas Matthæus hic brevitatè studens convolvit, et in unum redigit) distinctè enarrat, ac ante Eucharistiam in cena agni, de ejus calice hæc a Christo dicta esse asseverat. Accedit quod idem plane de cena agni prius dixerit Christus, ut patet ex *Luc.* cap. xxi, 13: « Desiderio, ait, desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. » Et mox immediate de calice agni subjungit: « Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. »

Denique statim subjicit institutionem Eucharistiae ejusque calicem a Christo consecratum, dicens: « Et accepto pane gratias egit, etc. Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis tradetur. » Ubi nullam deinde repemini vitis, nec vini novi bibendi in regno Dei facit mentionem.

Lucas ergo distinctè hæc enarrans, distinctè pariter indicat in qua cena hæc dixerit Christus, scilicet in cena agni; Matthæus vero has duas cenas in unam redigit, dicens: « Cœnavitibus autem illis, etc.; quare ordo Lucas hic potius sequendus est quam Matthæi. Voluit ergo Christus hæc verbis significare duntaxat, se deinceps cum Apostolis more solito non cœnaturum, nec communem cenam sumpturum in hac vita, non comesturum ad vires reficiendas et reparandas; sed ultimam hanc suam esse cenam, post quam capiendus sit et occidendus. Quare hic Apostolus ultimum vale dicit, quasi iturus ad mortem. Itaque hæc non pertinent ad calicem Eucharistiae, in quo non erat jam genimen vitis, id est vinum, sed sanguis Christi, in quem per consecrationem Christi transmutatum erat vinum. Ita censent S. Hieronymus hic, Beda et Theophylactus in cap. xxi *Lucæ*, Franciscus Lucas, Maldonatus et alii.

CUM ILLUD BIBAM VOBISCUM NOVUM IN REGNO PATRIS MEI. — « NOVUM, » id est novi et alterius generis. In cœlo enim Beati bibunt vinum non terreste, sed cœlestè, nimirum vinum et nectar lætitiæ et gloriæ sempiternæ, juxta illud: « In-

brabantur ab ubertate domus tuæ, et torrentis voluptatis tue potabis eos, » *Psal.* xxxv, 9. Ita Origenes hic et Nazianzenus, orat. *De Pascha*. Scriptura enim solet gaudia Beatorum spiritualia per corporalia, scilicet escam et potum, exprimere per catachresin, quia homines carnales voluptates spirituales non capiunt, sed corporales, ut patet *Matth.* viii, 11; *Lucæ* xiv, 15; *Apocal.* xix, 9, et alibi.

Dices: Christus post resurrectionem suam, ut eam Apostolis probaret, cum eis comedit, ac, ut videtur, etiam bibit vinum. Quomodo ergo hic ait se amplius cum eis illum non bibiturum? Respondeo: Christus comedit quidem et bibit tunc cum Apostolis, sed obiter solum, et tantum ad probandum se resurrexisse, non autem ut nature et fami satisfaceret, sicut fecerat ante mortem. Unde, loquens humano more, illam comestionem post resurrectionem non computat comestionem. Simile est *Lucæ* xxiv, 44. Vult enim significare duntaxat mortem suam instare, ac deinceps se cum illis communi hominum more non esurum, non conversaturum, ut hætenus fecerat. Itaque hic illis valedicit, sicut solent amici morientes, vel discedentes in remotas regiones, e quibus non revertentur, dicere amicis: Vale, o amice, amplius tecum non bibam nec comedam, ultimum ergo hunc cyathum tibi propino; ut hac phrasi aculeum amoris amico infigant. Hoc est quod Lucas, xxi, 29, Christus mox Apostolis dixisse asserit: « Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super meam in regno meo. » « Vobis, » uno excepto Juda, qui non in cœlo calicem vini, sed in tartaro calicem sulphuris bibet.

30. ET HYMNUS DICRO (id est decantato; hymnus enim canitur, ait S. Augustinus initio *Psal.* lxxii, *Luc.* xxi, 39; *Marci* iv, 24.

EXIERUNT IN MONTEN OLIVETI. — Græce *ἐβήσαντες*, id est cum hymnum dixissent, vel cœnassent, in gratiarum actionem et laudem Dei; Arabicis: *Et laudem dederunt, et exierunt in montem Oliveti*. Putant nonnulli, ex libris Ritualibus Hebræorum, usitatum hunc Judæis in Paschate fuisse hymnum in gratiarum actione post cenam agni; nimirum, ut notat Paulus Burgensis, et ex eo Franciscus Lucas, Baronius et alii, hymnum hunc fuisse septem Psalmos ex *alleluiis* confatos, qui incipiunt a psalmo cxxi: *In exitu Israel de Ægypto, etc.* et finiuntur psalmo cxviii: *Beati immaculati in vita*. Unde colligit S. Chrysostomus neminem e Misse ante gratiarum actionem, quæ fit in Collectis post communionem, debere discedere. Idem colligit de communi prandio et cena, scilicet ab eo non abundum nisi actus prius Deo gratis. Hinc et Concilium Toletanum IV, cap. xii, exserit nos, ex hoc Christi hymno, habere exemplum canendi hymnos. Hinc et usus canendi in Missa est antiquissimus, ut patet ex priscis Liturgiis.

Ille ergo hymnizandi ritus in cena agni, fuit priscorum Hebræorum, quem postea secuti sunt Christiani, ut post Eucharistiam et agapem, id est convivium charitatis omnibus fidelibus commune, Deo in gratiarum actionem psallerent. Colligitur id ex Paulo, *Ephes.* v, 19, idque disertè docet Tertullianus, *Apolog.*, cap. xxxix, et S. Cyprianus, *epist. ad Donatum*. Sic et Gentiles post epulas libabant Baccho aut alteri cuiquam deo, et in illorum honorem communi voce psæna, sive hymnum aliquem canebant, et deinde quisque, accepto myrri aut lauri ramo, propriam cantionem canere, atque etiam lyram, quæ per convivas circumferebatur, pulsare cogebatur, teste Plutarcho, lib. I *Sympos.*, Problem. 1, et Clemente Alexandrino, lib. II *Pædag.*, cap. iv.

Denique S. Augustinus, *epist.* 233, refert hymnum hunc Christi suo tempore circumferri solum, sed ipse eum impostura arguit, et a Priscillianistis confictum significat.

Porro hic, juxta rectum historie et rei gestæ ordinem, subnectendus est prolixus Christi sermo isque ardens et igneus, quem recenset Joannes, cap. xiii usque ad cap. xviii. Hunc enim Christus habuit in cœnaculo statim a cena.

EXIERUNT IN MONTEN OLIVETI. — Solebat Christus, præsertim ultimis hæc diebus vite, quotidie adire Jerusalem et docere in templo, sed sub vesperam redire Bethaniam, ibique cœnare, mox a cena redire in montem Oliveti, ibique in oratione pernoctare, ut indicat Lucas, cap. xxi, 37. Nunc autem non adit Bethaniam, utpote qui jam cœnasset in Jerusalem, sed inde ivit in montem Oliveti, quasi ad stadium luctæ, ut ibi se Judæ et Judæis comprehendum offerret. Ita Victor Antiochenus, in cap. xiv *Marci*: « Cur, ait, in montem exiit? quo spretis latibulis in commodo loco se exponat manifestumque faciat iis qui illum comprehensuri erant. Maturabat enim illum locum occupare, ubi antea orare solitus erat, et quem proditor optime compertum habebat, » ut ait Joannes, cap. xviii, 2.

31. TUNC DICIT ILLIS JESUS: OMNES VOS SCANDALUM PATIEMINI IN ME, IN ISTA NOCTE. SCRIPTUM EST ENIM: PERCUTIAM PASTOREM, ET DISPERCENT OVES GREGIS. — « Scandalum, » id est offensam et ruina in peccatum: *Primo*, pusillanimitatis et timiditatis, qua timidi me, qui sum Christus magister et Dominus vester, in passione deseretis et fugietis. « Patiemini; » Syrus, *offendemini in me*. Ita S. Leo, *serm.* 9 *De Passione*: « Fuerit tunc, inquit, discipulorum excusabilis pavor, nec diffidentia culpam Apostolicis meror incidit. » Et inferius agens de negatione Petri: « Vidit, inquit, in te Dominus non fidem fuisse, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. » Sic enim S. Marcellinus multique alii in persecutione rogati a tyrannis an essent Christiani, metu tormentorum negantes se esse, directe peccarunt, non contra fidem, sed contra fidei professionem,

qua fidem quam mente tenebant, non sunt ausi profiteri, nec occiderunt.

Secundo, scandalum in fide passi videntur Apostoli, ut, cum viderent Christum a Juda et Judæis capi, vineiri, trahi, nec se defendere, sed ab iis vinci et opprimi, putarent ipsam invitum vel coactum pati, ac proinde eum non posse se et suos eripere, ac consequenter non esse Deum, nec Dei Filium, ideoque in morte periturum, nec resurrecturum, nec quidquam opis ulterius sibi ab eo esse sperandum. Quare omnium Christi promissorum et predictionum immemores, vel oblit, nil eorum crediderunt. Unde Ecclesia sententiam videtur fidem Christi tunc in sola B. Virgine permansisse, dum in Paraseves officio omnes candelas successive extinguit unica duntaxat ardente relicta; sed hoc verius alii ardent ad fidem resurrectionis, quod sollicito S. B. Virgo Christum a morte resurrecturum ad lumen vite crediderit. Idem patet ex Apostolis, qui Christo apparenti eis post resurrectionem, dicentique se resurrexisse difficillime crediderunt. Unde Christus exprobravit incredulitatem eorum, *Marci* cap. xvi, vers. 14. Ita S. Hilarius: « Scandalum patiemini, inquit, id est metu et infidelitate turbabimini. » Et Euthymius: « Excutietur, inquit, a vobis fides quam in me habetis, sive fugietis, » quia creditis me vos amplius non posse juvare, vel defendere: imo Christus ipse, *Joa.* xvi, 31 et 32, Apostolis dicentibus: « Nunc credimus quia a Deo existis, » respondet: « Modo creditis: ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquantis; » *g. d.* Nunc in me creditis, sed paulo post, cum videritis me capi et pati, non credetis. Unde ibidem S. Augustinus, *tract.* 103, clare sic explicat: « Non enim, inquit, quando comprehensus est, tantummodo carne sua ejus carnem, verum etiam mente reliquerunt fidem. Ad hoc pertinet, quod ait: Modo creditis, etc., tanquam diceret, tunc ita turbabimini, ut etiam quod modo creditis, relinquantis. Venerunt enim ad tantam desperationem, et suæ pristinae fidei, ut ita dixerim, mortem, quanta apparuit in illo Cleopha, qui post ejus resurrectionem, cum illo se loqui nesciens, et quid ei contingeret narrans: Nos, inquit, sperabamus, quod ipse fuerat redempturus Israel. Ecce quomodo eum reliquerunt deserendo etiam ipsam fidem, qua in eum ante crediderant. » Hucusque Augustinus. Quocirca S. Augustinus secuti, Jan- senius, Franciscus Lucas, Emmanuel Sa et alii censent Apostolos in Christi captivitate deiecit a fide.

Huc accedit S. Ambrosius, *serm.* 48, dicens Petrum fidem perdidisse, et Turcere mata, lib. I *Petrus* dicitur perdidit.

Apostoli passi scandalum in fide Christi.

An D. Petrus dicitur perdidit.

gamus et impingamus Petro Apostolorum principi? Accedit S. Augustinus, tract. 113, ubi ait Petrum tantum ex metu negasse se esse Christianum, hoc est Christi discipulum, sicut jam in Japonie multi fideles meta mortis idipsum negant, qui tamen in corde retinent fidem. Et clarior S. Cyrillus, lib. XI in Joan., cap. XI, ubi asserit Petrum non ex timore, sed ex amore Christi eum negasse, quia scilicet optabat videre Christum, et eum eo manere, quod ei non licuisset, si ejus se discipulum confessus fuisset. Et S. Ambrosius, in cap. XXII Lucae, qui ait Petrum non negasse Deum, sed hominem, q. d. «Nescio hominem, quia scio Deum;» quare cum idem Ambrosius, serm. 47, ait Petrum perdidisse fidem, per fidem intelligit fidei professionem. Idem fere ait S. Hilarius, can. 32 in Matth., et S. Leo, serm. 9 De Passione, loquens de Petro: «Vidit, inquit, in te Dominum non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, ubi non defecit affectus, et fons charitatis lavit verba formidinis.»

Pecavit ergo Petrus mortaliter contra professionem fidei, negando se esse Christi discipulum, ideoque charitatem amisit, sed non fidem. Ita discrete docent Maldonatus hic, Toletus in cap. XVII S. Joan., annot. 14, ubi ait hanc sententiam ab omnibus esse receptam. Item Bellarminus, lib. III De Ecclesia, cap. XVII, qui id probat ex illo Lucae XXII: «Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.» Sic et Suarez, tract. De Fide, disput. IX, sect. 3, ubi asserit Petrum non perdidisse fidem, nec Jacobum, nec Joannem: hic enim paulo post constanter assistit Christo crucifixo, et ab eo Virgini matri quasi filius commendatus est; idemque probabiliter opinatur de ceteris Apostolis: hi enim non negarunt Christum, sed tantum metuentes comprehendit, diffugerunt.

Permisit id Deus variis de causis. Prima fuit, ut Christo plus patiendi materiam suggereret, eumque per omnia penarum genera exerceret et ab omnibus affligi sineret. Magna enim Christi poena et afflictio fuit defectio et fuga Apostolorum, tum quia debebat de eorum defectione et peccato, tum quia videbat in eis omnem fructum praedicationis suae intercepti et perire.

Secunda, ut Apostolis suam infirmitatem ostenderet, itaque eos humiliaret et ad infirmis lapsique compatiendum instrueret. Viderunt enim ipsi omnem suam animositatem et constantiam, quae Christo sese ad mortem adhesuros spondenderat, visa ejus captivitate illico instar cere liquecere et evanescere, sequi non nisi de fuga cogitare. Hic verum fuit illud: «Ante praelium leones, in prelio cervi.»

Tertia, ut declararet quantum esset vis persecutionis eoque ac pavoris. Pavor enim Apostolis fidem, memoriam et mentem eripuit, eosque ex leonibus fecit lepores, cervos et hinnulos fugacissimos. Quare pavorem hunc nec ratione, nec

Deus permitit
Apostolos
negasse se
fidei?
Cur?
Causa.
Prima.

naturali vi posse superari, sed sola Dei gratia, ideoque hanc illis continuo esse implorandam. Pavor enim ita eos consternavit, ut plane de Christo actum putarent, nec sibi quippiam ab eo expectandum existimarent; quare eum non nisi per Dei gratiam superare poterunt. «Magnum profecto dogma hinc discimus, inquit Chrysostomus, quia videlicet nullo modo hominis voluntas sufficit, nisi auxilio superiore roboretur.» Et Victor Antiochenus, in Marcum: «Offertur hic nobis singulare quoddam documentum, nempe ad depellendas graviores tentationes, nullam hominis promptitudinem sat esse, si caeleste subsidium desit, sicut scriptum est,» Zachar. XIII, 7.

PERCUTIAM. — Septuaginta πᾶσαι, id est percutie, et ita habent Hebraei, Zachar. cap. XIII. Unde putat Maldonatus Mattheum, qui sequi solet Septuaginta, scripsisse πᾶσαι, id est percutie. Verum omnia exemplaria constanter habent πᾶσαι, id est percutiam. Sic et Syrus et Arabicus. Sed eodem redit sensus. Solent enim Prophetae imperativum usurpare pro futuro, maxime per apostrophem poeticam, quae eis est elegans. «Percutie» ergo, scilicet, o framea, ut praecessit, id est o gladio, hoc est, ego Deus percutiam, id est percuti sinam Christum gladiis, id est armis, flagellis, fustibus, clavibus et tormentis Judaeorum, et bisque eum ponam pro hominum salute. Simile est Isaias VI, 10: «Excœca cor populi hujus, et aures ejus aggravata, et oculos ejus claudet,» quod Paulus, Actor. XXVII, 26, vertit per futurum: «Aure audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non perspicietis.»

PASTORUM. — Christum, qui est pastor pastorum et episcopus animarum nostrarum, I Petri II, 25.

ET DISPERGENTUR OVES. — scilicet Apostoli, visis Judaeorum gladiis fugientes eo singuli, quo cuique sors et occasio fugiendi dabatur. Paulo post tamen rursus eos collegit et adunavit Deus, ut in Paschate Christus resurgens eos adunatos inveniret, simulque omnibus fidem animumque restitueret. Cum enim Christus et Apostoli in Jerusalem non haberent domos et amicos, Apostoli fugientes nescierunt alium fugae terminum, quam ut se reciperent in cenaculum, ubi paulo ante pascha cum Christo celebraverant, eo quod herus illius domus Christi et Apostolorum esset amicus et hospes: quare eo se receperunt, ibique post resurrectionem Christus in Paschate eis apparuit et fidem restituit. Fuit hæc peculiaris gratia Christi, quam statim maxime ostendit in Petro, cum post trinae ejus negationem ipsum respiciens et compungens ad poenitentiam excitavit, fecitque ut fletet amare; atque in Joanne, quem impulit ut a fuga rediens, cum matre sua cruci astaret: unde eundem matri quasi filium commendavit et tradidit. Quare tunc utrumque in gratiam Christi rediisse et sanctificatum fuisse, non est dubium.

Predicet hæc Apostolis Christus, ut eis se Deum esse ostendat, ideoque se non coacte, sed voluntario patri ad redimendos homines, utque a cum hæc passi fuerint, non desperent salutem, ait S. Hieronymus, sed agentes poenitentiam liberentur.»

32. POSTquam AUTEM RESURREXERO, PRÆCEDAM (id est «preveniam,» ait Euthymius, «sibi vos excepturus») vos IN GALILEAM. — «Galileam dixit, ait S. Chrysostomus, ut a timore Judaeorum liberati, facilius verbis illius attenderent et crederent.» Ne ergo post lapsum desperent Apostoli, Christus hic se illos mox curaturum, imo in Galilea præventurum promittit.

33. RESPONDENS AUTEM PETRUS, AIT ILLI: ET SI OMNES SCANDALIZATI FUERINT IN TE, EGO NUMquam SCANDALIZABOR. — Ad hæc dicendum amor vehemens Christi Petrum impulit. «Fides enim est, ait S. Hieronymus, et ardens affectus erga Dominum, qui sic eum loqui cogit.» «Putat enim, ut ait S. Augustinus, lib. De Gratia et lib. ARB., cap. XVII, se posse, quod se velle sentit.» Peccat hic tamen tripliciter: primo, quod audacius Christo asserenti refragatur et obstrepit, ut ejus predicationem in se cassam fore ostendat; secundo, quod arrogantius ceteris se preferat; tertio, quod nimium præsumit, et viribus suis confidit. Consuetus enim infirmitatis humane, debuisse orare et dicere: «Credo VI fieri posse, imo id futurum ex mea fragilitate; sed tu, Domine, eam tua gratia corroborata, meque non in peccatum labor, fulci et sustentata. Moraliter idem experimur in nobis. Putamus enim sæpe nos fortes in fide, in castitate, in patientia; et ubi tentatio ingruerit, titubamus, trepidamus et subinde ruimus. Remedium ergo tentationis est propriae infirmitatis agnitio et divine virtutis imploratio.»

34. AIT ILLI JESUS: AMEN DICO TIBI, QUIA IN HAC NOCTE, ANTEquam GALLUS CANTET, TER NE NEGABIS. — Græce significantius ἀπαρτίως, id est abnegabis, ait, 30; imo abjurabis, q. d. Pejus facies, Petre, quam ceteri, idque tua presumptio præ ceteris mereatur. Ceteri enim fugient duntaxat, tu vero me abjurabis. «Cantet,» scilicet sub auroram: bis enim cantat gallus: primo, post medianam noctem; secundo, magis et validius sub auroram, cum sentit solem et lucem adventare. Unde hoc tempus proprie vocatur gallicantium. Et ante hunc secundum galli cantum Petrus ter Christum negavit. Hinc Marcus ait, cap. XIV, 30: «Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus,» q. d. O Petre, qui nunc ita ferveas ad me confitendum, paulo post hæc ipsa nocte eris frequenter, et ex metu ferventior, ad me negandum, quam gallus ad cantandum: sed gallus suo cantu dormientes excitat ad laudandum Deum, tu vero tua negatione excitabis alios ad me vituperandum.

Petrus, ait S. Hieronymus, de ardore fidei promittebat, et Salvator quasi Deus futura prædicebat. Gallicantii signum Christus dat Petro

Vers. 34.
Luc.
XIII, 34;
Marc.
XIV, 30;
Joan.
XIII, 38.

ut cum gallum cantantem audierit, meminerit prædicationis Christi sibi in signum negationis ab eo date, ideoque et negationis et præsumptionis suae poenitentem culpam agnoscat et veniam petat, uti re ipsa fecit. Unde Beda in cap. XXII Lucae, vers. 34: «Ut Deus, inquit, modum, tempus, horam ac numerum negationis prædicet.»

35. AIT ILLI PETRUS: ETIAMSI OPORTUERIT ME MORI TECUM, NON TE NEGADO. SIMILITER ET OMNES DISCIPULI Dixerunt, — ut fidem, affectum et amorem suum erga Christum testarentur, sed presumptione peccarunt dupliciter, ut dixi vers. 33.

Dices: Apostoli credebant Christum esse Prophetam, imo Dei Filium, quomodo ergo ei suum lapsum prædicent non crederent, sed obstrepunt? Respondeo: Quia non ad Christi predicationem, sed ad presentis animi sui propositum prædicationi contrarium attenderunt, quod tam forte et resolutum in se experiebantur, ut impossibile putarent quod ipsi a Christo suo deficerent. Quare Christi predicationem, non tam predicationem, quam propositi et amoris sui erga Christum tentationem et probationem esse arbitrabantur, ideoque in hac probatione tam resolute et animose affectum suum erga Christum sibi demonstrandum esse censebant. Unde S. Hilarius: «In tantum, ait, et affectu et charitate Christi efferebatur (Petrus), ut et imbecillitatem carnis suae, et fidem verborum Domini non contueretur.» Verum etiam Christi predicationi credidissent, libere tamen negassent Christum, quia nec predictio, nec ejus credulitas adhibebant eis libertatem, imo eam ejusque usum præsupponebant. Ideo enim Christus prædixit eos a se defecturos, quia ipsi vere a se defecturi erant; non vero ideo ipsi defecerunt, quia Christus eos defecturos prædixit. Objective enim prior erat eorum defectus futurus, quam ejus a Christo facta previsio et predictio (Christus enim prævidit duntaxat id quod ab eis libere agentibus futurum erat): nullam ergo eis se negandi necessitatem imposuit, cum negatione eorum fuerit posterior.

Instabis: Si Petrus predicationi Christi fidem adhibens, sibi persuasisset se certo illa nocte negaturum Christum, non potuisset eum non negare, quia hæc persuasio et credulitas semper mentem ejus determinasset et quasi ligasset ad negandum Christum: nemo enim potest conari efficaciter, ut faciat contrarium ejus quod certo scit eventurum, sequæ facturum; frustra enim conaretur: unde idipsum apprehendit et fugit quasi sibi impossibile; scit enim certo illud, non aliud eventurum quiddam conetur et agat. Respondeo: Persuasio illa inclinasset quidem, et aliqua ratione determinasset Petrum ad negandum Christum, sed in genere sive in confuso, scilicet ut aliquo noctis tempore Christum negaret; non autem eum cogebat hæc hora, hoc instanti, hoc loco, hac occasione, coram his vel illis negare. Quare in particulari omnes ejus actus, quibus

Vers. 35.
Marc.
XIV, 31.

Quomodo
Apostoli
Christum
eorum
lapsum
predicatio-
ne contrarie
dile-
runt, si
cum Pro-
phetam
et Mes-
siam cre-
debant?

res Christus mentaliter in se suscepit, pro eis dolens, gemens et orans, ut singulis suo dolore et gemitu gratiam et robur ad cuncta sustinendum et superandum a Deo Patre impetraret; ipse enim fideles suos uti filios amat quasi seipsum. Unde de illorum miseriis et afflictionibus dolet, quasi de suis, ut patet *Matth.* xxii, 38 et 40.

Tertia causa fuit ingratitude hominum, præsertim quod prævideret tam paucis hosce suos dolores profuturos; paucos enim salvandos fore, plurimos vero ob suam negligentiam et ingratitude dammandos. Unde de eo canit Poeta:

Non dolor hinc meus, dolor, est amor; hoc doleo unam,
Quod labor hic multis noster inanis erit.

Quarta causa fuit afflictio matris suæ, præsertim dum cruci astaret: dolores enim filii quasi gladii transfixerunt animam matris, et ex ea in ipsum Christum reflexi sunt: summe enim ipse dolebat matrem suam adeo affligi propter se. Verum has cæterisque omnes tristitias animo premebat et superabat Christus, sed hanc unam in horto discipulis ostendit. Unde

Nota quarto, hanc tristitiam in Christo non fuisse necessariam, aut naturalem et involuntariam, ita ut rationis et voluntatis imperium præveniret, ut in nobis, dum aliquid nobis molestum accidit, sæd fuisse omnino liberam et libere a Christo assumptam, quod Theologi dicunt in Christo non fuisse passiones, sed propensiones: omnes enim affectus motusque voluntatis, æque ac appetitus sensitivi in Christo oriebantur ex rationis dispositione et libera voluntatis electione. Hinc enim omnes inferiores vires et potentias, tam in Adamo quam in Christo perfecte subditæ erant: hoc enim exiebat iustitia originalis, sive plena animæ rectitudo, quæ erat in Christo, sicut et in Adamo, quamdiu perstitit in sua innocentia, uti docent Theologi ex S. Augustino, lib. XIV *De Civit.*, cap. ix. Unde Damascenus, lib. III *De Fide*, cap. xxii: « Permittit, ait, carnem pati propria, sed nihil in Christo coactum; volens enim esuriit, timuit et contristatus est. »

Nota quinto, Lucas, xxii, 42, addit Christum sudasse sanguinem, et ab Angelo fuisse confortatum, de quo in Luca dicam. Hinc Isaias, lxi, 3, Christum vocat « virum dolorum, » ob causas quas ibidem recensui.

Porro, causæ finales et morales hujus tristitiæ Christi fuere variæ. *Primum* dat Chrysostomus: « Ut veram, ait, carnem se suscepisse demonstraret, humana sustinet. » Sic S. Hieronymus et Origenes, et S. Leo, serm. 7 *De Passione*: « In nostra, ait, humilitate contemptus, in nostra mæstitudine contristatus, in nostro est dolore crucifixus. » *Secundam* dat S. Gregorius, lib. XIV *Moral.*, cap. xvii: « Appropinquante morte, ait, in se mentis nostræ certamen expressit, quia

valde timeamus mortem appropinquante. » *Tertiam* dat S. Ambrosius, in cap. xxi *Lucæ*, vers. 44: « Nusquam magis, ait, Christi pietatem et majestatem demiror, quam hic, ubi plerique horrent; minus mihi confulerat nisi meum suscepisset affectum: suscepit tristitiam meam, ut mihi suam lætitiã largiretur: confidenter tristitiam nomine, quia crucem prædico: debuit dolorem suscipere ut vinceret: non habet fortitudinis laudem stupor; nos voluit erudire, ut futuræ mortis mæstitiã vinceremus, et forte ideo tristis est, quia post Adæ lapsum nobis est necesse mori: itemque quia persecutores sciebat immanis sacrilegii penas duros. » Et nonnullis interjectis: « Dolens ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera; non tuam mortem, sed nostram infirmitatem. »

Eleganter et pie S. Athanasius, tract. *De Passione et cruce*: « Descendit Christus, ait, ut nobis ascensum pararet; expertus est nativitatem, ut nos per eam Patri inaccessibili reconciliaremur; infirmatus est propter nos, ut nos erigeretur robore, utque dicamus more Pauli: Omnia assumpsi in eo qui me corrobora, Jesu Christo. Assumpsit corpus corruptibile, ut corruptibile indueret incorruptibilitatem; induit mortale, ut quod erat mortale, indueret immortalitatem; denique factus est homo, mortuus est, ut nos homines emorientes efficeretur dii, nec amplius haberemus mortem regnantem. Mors enim nobis non dominatur, » etc.

Quarta causa fuit, ut horrorem mortis, qui ex peccato Adæ in penam nobis inflictus est, mitigaret, imo in gaudium et spem melioris vite in celo consequendæ converteret. Hinc Christus meruit, ut martyres in tantis tormentis et mortibus tam atrocibus non exhorrescerent, nec pavent, sed ultro eas ambient, in hisque exultarent et jubilarent, ut fecit S. Ignatius, S. Laurentius, S. Vincentius. Christus enim acerba nostra in se suscepit, ut nobis sua dulcia conferret. Suscepit tristitias nostras, ut nobis suas lætitiã rependeret: « Venit Christus, ait Chrysostomus, serm. 130, nostras suscipere infirmitates et locus nobis conferre virtutes. » Rursum hac tristitia et agonia sua meruit Christus, ut fideles in agonia mortis constituti eam non horrerent, sed patienter ac subinde lætenter ob spem resurrectionis eam exciperent, dicentem cum Osee et Paulo, I *Cor.* xv, 35, quasi insultantes morti: « Absorpta est mors in victoria; ubi est, mors, victoria tua? ubi est mors, stimulus tuus? » Vide utrobique dicta.

Quinta causa fuit, ut sua tristitia, pavore et angore curaret nostram acediam, pusillanimitatem, metus, angores, scrupulos, melancholias, diffidentias, etc., juxta illud Isaiæ, lxi, 4: « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. » Quare in hisce omnibus optimum remedium est, recurrere ad Christum agonizantem, ut ipse per exemplum et meritum

tristitiæ et agoniæ quam passus est in horto, nostram curet. Hac enim de causa illam sustinuit. Nam, ut ait S. Leo, serm. III *De Passione*: « Nostræ infirmitatis affectus participando curabat, et penalis experientiæ metum subeundo pellebat. In nobis ergo Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptionem nostræ infirmitatis indeget et nostram inconstantiam suæ virtutis soliditate vestiret. »

Rursum, ut horrorem difficultatis, quæ in omni virtute occurrit (virtus enim versatur circa ardua) nobis minueret vel adimeret. Hic enim horror plurimos a virtute et sanctitate remouet. Quare, dum quæ difficultas vel tentatio occurrit, armemus nos meditatione agoniæ Christi: si enim ipse eam laudando et sudando sanguinem superavit, nos certe nostras generose eis resistendo vincere oportet. Unde Paulus, *Hebr.* xii, fideles exhortans ad lucram: « Per patientiam, inquit, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contraditionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes. »

Docuit ergo hi Christus nos, ut ratione et merito repugnemus passionibus nostris, præsertim acedias, tristitia et anxietati, itaque illas domemus et rationi subigamus. Quare imple et imperite Calvinus et Beza hic Christum accusant, ut mollem, timidum, inconstantem, alternis votis vacillantem et Martyribus pusillanimum; quia hæcæ passiones ipse non invitatus subit, sed sponte accessit, ut cum illis lutando animosæ easdem vinceret et easdem in nobis domaret. Nam, ut ait S. Augustinus, Christus « potestate, non infirmitate turbavit seipsum. » Vide D. Thomam et Scholasticos, III *part.*, *Quæst.* xv, art. 4.

Vers. 33. TUNC AIT ILLIS: TRISTIS EST ANIMA MEA (SYTUS, *agritudo inest anime meæ*) USQUE AD MORTEM: SUSTINETE HIC, ET VIGILATE MECUM. — *g. d.* Ex viva apprehensione instantium mihi tormentorum et mortis, adeo tristior et angore, ac si jam morerer; sustineo agoniã et dolores mortis, quales sustinent moribundi; spiritus et vires me deficient, videor mihi merere et pavore quasi exanimari, angor mihi pene vitam et spiritum eripit. Singula verba habent emphasim doloris. « Tristis, » id est tristissima « est » non caro, non affectus, sed « anima meæ, » quia tristitia intima anime meæ penetrat animamque meam quasi gladius dissecat, juxta illud: « Intraverunt aquæ (amaritudinum et afflictionum) usque ad animam meam. » *Psal.* lxxviii, 1: « usque ad mortem, » ut ad mortem quasi me adigat, ut a morte vix puncto distem, ut si vel tantillum tristitia crescat, me

obruat vitamque mihi extorqueat: quia vilico et mente intueor atrocissima penarum omnium genera, mox continue usque ad mortem mihi subeunda. Cogita quo doloris et amoris sensu hæc Petrus, Jacobo et Joanni dixerit Christus; quod ego fuerit pathos, qui vultus, quæ vox, quæ facies.

SUSTINETE. — Græce *μεινω*, i. l. est manere, expectare et intuemini me hic in mortis agonia summe dolentem et orantem, tum ut doloris mei sitis testes; tum ut a me discatis in omni tribulatione confugere ad orationem, ut notat Theophylactus; tum ut mecum vigilando, compatiendo, orando, aliquod tantæ afflictionis lenimen et solatium mihi afferatis; sed frustra, nam tristitia vos obruit et in somnum adigit. Unde queritur Christus, *Psal.* lxxviii, 21: « Sustinui qui simul contristaretur, et non vult; et qui consolaretur, et non inveni. » Voluit Christus ex vehementia amoris puram et miram subire passionem, sine ulla consolatione vel consolatore. Voluit merum cibare calicem fellis et amaritudinis, sine ullo melle suavitatis, tum ut copiosa esset redemptio, tum ad exemplum heroiæ virtutis, ut fortitudinis apicem in hoc suo actu exprimeret. Christus enim in sua passione actus omnium virtutum heroicis et perfectissimos elicit. Quare in ea ipse fuit portentum humilitatis, quia enim in forma Dei esset, exanimavit se, etc., humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, » *Philipp.* ii, 8. Ipse in ea fuit portentum patientiæ, constantiæ, fortitudinis, uti jam ostendi. Ipse fuit portentum charitatis, quia « majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis; » Christus autem eam posuit pro inimicis suis, uti exaggerat Apostolus, *Rom.* v, 8, et ita de cæteris.

39. ET PROGRESSUS PUSILLUM, PROCIDIT IN FACIEM *Vers. 39.* SUAM, ORANS ET DICENS: PATER MI, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTI. VERUMTAMEN NON SICUT EGO VOLO, SED SICUT TU. *Luc. xxii,* 41, 42; *Marc.* xiv, 35 et 36.

PROGRESSUS PUSILLUM. — scilicet ad paucos passus, discedens a Petro, Jacobo et Joanne, ut secreto oraret; sed ita ut ab his notari, videri et audiri posset. « Procidit, » Græce *frece*, id est cecidit in faciem suam, scilicet prono et prostrato in terram corpore, fallent terræ affigens, ut hoc gestu: primo, summam suam afflictionem ostenderet; secundo, ut insigne humilitatis exemplum exhiberet; tertio, ut summam Deo Patri reverentiam exhiberet; quarto, ut onus immane peccatorum nostrorum, quod ipse in se suscepit, representaret: hoc enim ipsum suum pondere degravavit et afflixit in terram; quinto, ut ipse quasi Quirites et penitens pro nobis se sisteret Patri, eique totum se ad castigationem offerret, *g. d.* En ego pro hominibus reum me tibi dedo; o Pater, en totum me ad penam eis debitam offero. En dorsum sterno ad flagella, captus ad coronam spi-

hæc tristitia voluntatis fuit in Christo.

Causæ finales. Prima.

Christi proci-dit quia causa. Prima. Secunda. Tertia. Quarta.

neam, manus et pedes ad clavos, totum corpus ad crucem; me unum ergo flagella, corona, punge et crucifige, ut hominibus parcas eosque in gratiam recipias.

ORANS. — Christus enim, qua homo, vere et proprie orabat Deum Patrem; imo seipsum qua Deus est, Locus illic horti ad radices montis Oliveti situs, in quo oravit Christus, postea a Christianis illustratus est ecclesia ibidem extracta, teste S. Hieronymo in *Locis Hebr.* Addit Beda, *tract. De Locis sanctis*, cap. VI, in fine, et ex eo Baronius, anno Christi 34, petram ipsam in qua Christus orans flexit genua, quasi mollem ceram is cecidisse, ac in se genuum Christi vestigia impressa excepisse, ipsunqu lapidem in ecclesia aservari. Adjungit Baronius, atque: Accepimus etiam ab his qui loca sancta lustrarunt, etiam in imo vallis Josaphat, quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus ipsis ejusdem Christi Domini nostri vestigia pedum impressa remansisse, hactenus servata esse.

PATER MI, SI POSSIBILE EST, TRANSEAT A ME CALIX ISTE. — Absolute hoc erat possibile, sed impossibile erat positio Dei, decreto de redimendo homine ex rigida iustitia per mortem Christi. Et sciebat id Christus: quare absolute hic non vult, nec orat contrarium voluntati Patris eque ac suæ; sed tantum exponit naturalem desiderium, sive voluntatem suam inefficacem et conditionatam, quæ naturaliter horrebat mortem optabilem ab ea liberari: libere tamen et secundum rationem se Deo contrarium volenti, scilicet ut moreretur, plane subdebat.

TRANSEAT A ME CALIX ISTE. — Primo, Calvinus sic explicat: « Non fuit, inquit, hæc meditata Christi oratio, sed vis et impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Eadem vehementer præsentem celestis decreti memoriam illi abstulit, ut non reputaret in ipso momento se hæc lege missum esse humani generis redemptorem: sicut gravis anxietas sepe caliginem oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia. » Verum impius hic blphemat, dum Christo violentiam, oblivionem, ignorantiam, caliginem, inconstantiam, divinæ voluntatis repugnantiam, ideoque peccatum reipsa adscribit. Nam, ut superius dixi, Christus non coacte, sed libera voluntate tristitiam et dolorem, indeque orationem hanc, qua illam patefaceret, suscepit; sed ita, ut illam per orationem et spiritum regeret et Dei voluntati subiceret. Quocirca prior actus posteriori fuit substratus et subordinatus, ideoque secundum rectam rationem directus et ordinatus: nil enim in Christo potuit esse inordinatum et inconstitutum. Ratio enim et pars superior re te justaque volebat, ut pars inferior suam tristitiam et mortis horrorem ostenderet, ob causas superius recensitas.

Secundo, S. Hieronymus per « calicem » accipit peccatum Judæorum, quod scilicet ipsi Christum

sum occiderent, q. d. Cupio, o Pater, pati et mori, sed opto et oro ut non patiar nec occidam a Judæis, ne illi, qui sunt gens mea et filii Abraham, tam immane scelus committant, et ob illud gravissime damnentur et crucientur in gehenna. « Unde et signatur, ait J. Hieronymus, non dixit: Transeat a me calix, sed: Calix iste, hoc est populi Judæorum, qui excusationem ignorantiam habere non potest, habens legem et Prophetas, qui me quotidie vaticinantur. » Verum hic sensus arctior est.

Tertio, ergo plene et adequate: « Transeat, » id est prætereat, ut veritè Syrus, et avertatur a me calix iste instantis mihi tam horrendæ passionis et mortis, ut illum non gustem, cum tamen decreveris ut eum usque ad fundum et feces exhauriam. Cur passio vocetur « calix, » dixi cap. xx, 22. Porro Origenes: Decretum Dei erat, ait, ut Christus hiberet hanc passionem, siquæ ille ab eo transiret, et pariter ab universo hominum genere transiret et abiret.

Quarto, S. Catharina Senensis, teste Ambrosio Catharino in ejus Vita Italica, lib. II, cap. xxviii et xxix, duas alias afferebat expositiones, easque dicebat sibi a Christo revelatas. Prior est, quod Christus stitebat calicem passionis avidissime, ut amorem erga Patrem ostenderet nosque redimeret, ideoque optabat accelerari et absolvere hoc opus; ait ergo: Illico fac, o Pater, ut patiar moriarque; ardor enim meus patiens non patitur moras, ne horæ quidem vel instantis unius: itaque per me transeat, ac deinde a me transeat calix iste, ut abolita morte illico revertat ad te. Hoc enim Christus optabat secundum spiritum, licet secundum carnem horretet mortem et optaret transire, id est averti a se. Et sic hic duo sensus se compatiuntur: poterat enim Christus unum orare secundum carnem, alterum secundum spiritum. Si poterat, cur non fecit? nam constat eum sitissime hanc passionem, cum diceret: « Baptismo habeo baptizari, » et quomodo coartor donec perficiatur? » et paulo ante passionem: « Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum. » Voluit ergo dare exemplum S. Ignatio et aliis generosis Martyribus desiderandi crucis.

Posterior: videbat Christus multos ingratos fore suæ passioni, mansuros in peccatis, ac demandos; hic erat ei summus dolor, hancque vocat hic calicem, q. d. Transeat a me calix iste, id est amove a me hunc dolorem et numerum damnandorum, fac ut omnes salventur. Et si hoc Christus efficaciter orasset, impetresset, quia Pater nil negat Filio; sed maluit Christum se conformare Patris voluntati et iustitiæ, ideoque dixit: « Non mea voluntas, sed tua fiat. » Hæc S. Catharina, non tam ad litteram, quam ad exprimentos pios et ardentes Christi sensus et affectus.

Symbolice S. Hilarius: « Passuris discipulis,

ait, Christus omnem in se corporis nostri infirmitatem assumpsit, crucique secum universa, quibus infirmamur, affixit, et ideo transire ab eo calix non potest, nisi illum bibat, quia pati nisi ex ejus passione non possumus, » q. d. Christus: Transeat, o Pater, calix iste passionis et patientiæ meæ in meos fideles, ut, cum meas passiones subibunt, meam quoque patientiam, meamque robur ad tolerandum, te dante, experiantur.

Pie et sapienter S. Bernardus, serm. 20 in Cantico: « Super omnia, inquit, reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vindicat totum sibi: hoc, inquam, est, quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Illa denique dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt. At vero hic et in dictis sustinuit contradictores, et in factis observatores, et in tormentis illusores, et in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit. » Et nonnullis interjectis: « Dilixit autem fortiter, dulciter, sapienter. Dulce nempe dixerim, quod carnem induit; cautum, quod culpam cavuit; forte, quod mortem sustinuit. » Unde concludit:

Disce, o Christiane, a Christo quemadmodum illegas Christum. Disce amare dulciter, amare reverenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi ab amore Domini avertamur. Nec mundi illicio seu voluptatibus abducaris; dulcescat tibi pro his sapientia Christus. Ne seducaris spiritu mendacii et erroris, luceat tibi veritas Christus. Ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflamet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. »

VERUMTAMEN NON SICUT EGO VOLO, SED SICUT TU.

— Arabicus: Verumtamen non secundum voluntatem meam, sed secundum voluntatem tuam; supple; stat. Lucas: « Non mea voluntas, sed tua fiat. » Hinc patet contra Monothelitas non unam, sed duas in Christo fuisse voluntates, scilicet unam humanam, alteram divinam: hic enim humanam subjicit divinæ; ergo non fuit in Christo solum divina, que suppleret humanam, ut voluere Monothelitæ: hæc enim habuit solum ut Deus: sed et humana; hæc enim habuit ut homo, et per hæc meritum est nostram redemptionem. Hinc Synodus VI, act. iv et x, probat duas in Christo fuisse voluntates, humanam et divinam, et humanam divinæ per obedientiam fuisse subjectam, atque asserti hanc esse expositionem S. Athanasii, S. Augustini, S. Ambrosii, S. Leonis, recitatis eorum verbis. Imo humana Christi voluntas, licet

in se una, virtute tamen et operatione fuit quasi duplex, scilicet una naturalis, qua fugebat mortem; altera rationis et libera, qua subdens

se voluntati Dei mortem appetebat, ac juxta hæc dicebat: « Verumtamen non sicut ego volo, » voluntate naturali, « sed sicut tu vis, » q. d. Voluntate rationali subijco voluntatem meam naturalem tuæ voluntati, o Pater, nec aliud volo quam quod tu vis. Quare voluntas Christi naturalis erat conditionata et inefficax, quia sub conditione tantum, si scilicet placeret Deo, cupiebat evadere mortem. Verum, quia hæc conditio non ponebatur, hinc voluntas hæc erat cassa et inefficax. Rationalis vero ejus voluntas erat absoluta et efficax, quia per eam absolute et efficaciter subijcebat se voluntati divinæ, in objecto tam materiali quam formali, quia amplectebatur mortem ob eandem rationem, ob quam eam volebat Deus, scilicet ob redemptionem hominum. Naturalis vero Christi voluntas, in objecto materiali videbatur contraria voluntati divinæ, quia volebat mortem, quæ illa volebat, sed in regula et subordinatione eidem erat conformis, quia sinebat se regi et corrigi a voluntate naturali, per eamque subijco voluntati divinæ; ac vicissim Dei, æque ac Christi hominis rationalis voluntas, ex deliberata justaque ratione volebat, ut naturalis ejus voluntas, hunc actum horrois fugæ mortis inefficacem exprimeret, ob causas jam dictas: omni ergo modo Christi voluntas volebat id quod Deus volebat eam optare et velle, itaque per omnia voluntati divinæ erat conformis. Volebat enim Deus, ut Christus fieret mundi placulum, ideoque scelus omnium placulum se fecit Christus, ut docet Eusebius, lib. I de Demost. Evang., cap. x.

Moraliter: docet hic Christus unicum afflictionis remedium, esse orationem et resignationem in voluntatem divinam. Quare in omni tentatione et tribulatione confugiendum esse ad auxilium non hominum, sed Dei, qui solus nos ab ea liberare vel in ea corroborare ad vincendum potest, imo cupit, si invocetur, et si ejus voluntati nos humiliter, reverenter et amanter, ut filios docet, subijciamus. Unde S. Leo, serm. 7 De Pass., sic ait: « Hæc vox (fiat voluntas tua) capitis, salus est totius corporis, hæc vox omnes fideles instruit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus et pro omnibus patiens Patri diceret: Fiat voluntas tua? »

40. ET VENIT AD DISCIPULOS SUOS, ET INVENTI EOS DORMIENTES, ET DIXIT PETRO: SIC (sicine, itane) NON POTUITIS UNA HORA VIGILARE MECUM? — « Venit ad discipulos, » tum ut aliquo memoris sui solatium, ex eorum affectu et alioquo captairet, etsi sciret exiguum et quasi nullum illud fore; tum ut suorum curam gereret docerique Pastores et Episcopos etiam in afflictione gravissima suorum curam gerere, imo interrupta quoque oratione visitare. « Dormientes, » ex more et tristitia, ut habet Lucas, præsertim quia jam erat

nox, quæ somnum conciliat. « Petro, » quia hic ceterorum caput, ceteris audacius fidelitatem suam opemque Christo, usque ad mortem sponderat.

SIC NON POTUISTIS? — Adverte hic quam leniter et modeste Christus suos corripit et ad vigiliam excitat. Non exprobrat; nec ait: Vos infidi, vos torpidi, vos inertes, quid dormitis in extremo hoc Deo discrimine? Ubi sunt splendida vestra procipta? ubi fides? ubi constantia? Sed: « Sic non potuistis, » *q. d.* Valuistis quidem vigilare, sed somnus ex mærore obortus vos oppressit; quare non voluntati, sed impotentie et infirmitati vestre somnum hunc ascribo: sed agite, animos suscite, infirmitatem superate, somnum excutite.

Mystice S. Irenæus, lib. IV, cap. XXXIX: « Veniens, inquit, Christus excitavit eos et erexit, significans quoniam passio ejus expefactio est dormientium. » Quis enim, licet sceleratus, non excitetur ad dolorem, videns Christum dolentem pro se tam acerba pati?

4. VIGILATE ET ORATE, UT NON INTRETIS IN TENTATIONEM. — qua injecto a Judæis metu me negatis, deseratis et fugiatis, *q. d.* Si mea pericula vos non movent, vestra vos moveant. Ecce enim ingruit vobis gravissima mei negandi tentatio. Vigilare ergo et orare, ut eam superetis, quia, ut ait Origenes, qui spiritaliter est, sollicitior debet esse, ne magnum bonum ipsius gravem habeat lapsum. » Ecce hoc est remedium omnis tentationis, quod Christus hic assignat; scilicet vigilia ad providendas et discutendas diaboli et hominum nos tentantium artes et fraudes, atque ad eas superandas oratio et divinæ opis imploratio. « Ut non intretis in tentationem, » id est, ut tentatione instante non illaqueemini et capiimini, sicut aves capiuntur laqueo et pisces hamo, quem propter escam intrant et subeunt. Non ait: Ut non tentemini; hoc enim sæpe nec est in nostra potestate, nec in Dei voluntate. Deus enim vult nos tentari, ut probet nostram fidem, et virtutem luctando auget meritique et coronas nobis accersat; sed, et non intretis in tentationem, » ita scilicet ut illa vos occupet, possideat, dominetur. Intrat in tentationem, ait Theophylactus, « qui absorbetur a tentatione, et in ejus potestate fit. » Et S. Hieronymus: « Ut non intretis in tentationem, hoc est, in tentatio vos superet, et vincat, et peccato irretitis intra casses suos teneat. »

SPIRITUS QUIDEM PROMPTUS EST, CARO AUTEM INFIRMA. — Loquitur de spiritu et carne non sua, sed Petri et Apostolorum. Ita S. Hilarius, *q. d.* Scio quidem vos spiritu et mente esse promptos et paratos ad mihi adhaerendum, etiamsi Judæi vobis mortem iminentur; sed scitote carnem vestram esse infirmam. « Carnem » vocat, tum carnem proprie dictam; unde Syrus vertit, *corpus vero infirmum*; tum appetitum sensitivum et natu-

ralem carnis affectum, qui fugit persecutionem, passionem et mortem, ad illaque superandum infirma est et imbecillis, cum ad suas opes, honores, delicias, quas appetit, sit valde robusta et valida. Orate ergo ne caro infirma vestrum infirmet spiritum, et ad me negandum compellat, sed ut Deus sua gratia tam spiritum, quam carnem vestram ita confortet, ut non tantum prompti, sed et validi sint ad omnia adversa superandum, ut mei causa etiam mortem alacres optetis et fortiter obeatis. « Illaque, ait S. Hieronymus, quantum de ardore mentis confidimus, tantum de fragilitate carnis timeamus. » Quare, alienius quidam, per « spiritum » accipit demonem, per « carnem » hominem, *q. d.* Tentator diabolus fortis est ad tentandum, homo vero debilis ad tentationi ejus resistendum. Porro Origenes: « Omnium, ait, caro infirma est, non autem et omnium hominum spiritus promptus est, sed tantum Sanctorum, qui spiritu prompto opera carnis mortificant. » Addit Marcus: « Et ignorabant (Apostoli) quid responderent ei, » quia perplexi et percussus hinc mærore, inde somno premebantur erantque inopes mentis et consilii.

42. ITERUM SECUNDO ABIT, ET ORAVIT, DICENS: Vers. 42. Marc. xvi, 39.

PATER MI, SI NON POTEST HIC CALIX TRANSIRE NISI BIBAM ILLUM, FIAT VOLUNTAS TUA. — Christus in hac secunda oratione idem oravit quod in prima, ut patet ex Marco. Dixit ergo: « Pater mi, si fieri potest, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. » Verum Matthæus priorem orationis partem, utpote inefficacem et cassam, omisit, ut posteriorem, in qua tota orationis Christi vis et efficacia consistit, stabiliret eamque nobis imitandam proponeret. Absolute enim Christus optabat et orabat bibere calicem passionis, Dei voluntate sibi decretum et destinatum. Plane enim et omnino petiit, ut Dei voluntas in se in omnibus et per omnia impleretur.

43. ET VENIT ITERUM, ET INVENIT EOS DORMIENTES; ERANT ENIM OCULI EORUM GRAVATI, — INCORPOR, æque ac vigilia et fatigatione, inde somno. « Erat enim nox, et ea intempesta, » ait Chrysostomus, qui et addit Christum eos hic non redarguisse, « magnam eorum infirmitatem esse significan- tem. »

44. ET RELICTIS ILLIS, ITERUM ABIT, ET ORAVIT TERTIO, EUMDEM SERMONE DICENS. — « Tertio: » Primo, ut ostenderet vehementiam suæ tristitie, qua, imminente jam Juda ad eum tradendum, angebatur, adeo ut agoniam mortis subiens ex ea sudavit sanguinem, ideoque angelus confortavit eum, ut docet Lucas, xxii, 41 et 42, de quo ibidem plura; hoc enim omnia contigerunt in tertia Christi oratione duntaxat, non autem in prima quoque et secunda, ut vult Jansenius.

Secundo, ut decreet in afflictione subinde Deum in prima oratione nos non exaudire, ut sæpius et ferventius oremus: quare orationem tunc esse

duplicandam et triplicandam, donec a Deo exaudiamur et impetremus quod poscimus. Perseverantiam ergo coronat opus, præsertim orationis. Si Christus Dominus in prima et secunda oratione non est exauditus a Patre, quid mirum si nos hominili ratione statim non exaudiamur? Perseveremus ergo in oratione, et sic fructum orationis, quem sensit Christus, experiemur, nimirum confortationem Dei per angelos, tristitie sedationem, magnanimitatem ad adversa ultra aggrediendum et superandum. Modum ergo, perseverantiam et fructum orationis, nos docet hic Christus.

Symbolice primo, Remigius: « Ter, inquit, orat Christus pro Apostolis, et maxime pro Petro, qui ter eum erat negaturus. » Secundo, Rabanus: « Ideo, ait, tribus vicibus Dominus oravit, ut nos a peccatis præteritis veniam, et presentibus malis tutelam, et futuris periculis cautelam oremus; et ut omnem orationem ad Patrem, et ad Filium, et ad Spiritum Sanctum dirigamus; et ut integer spiritus nos, et anima, et corpus servetur. »

Tertio, S. Augustinus, in *Quæst. Evang.*, in hunc locum: « Non absurde intelligitur, inquit, propter trinam tentationem passionis, ter Dominum orasse. Sicut enim tentatio cupiditatis trina est, ita et tentatio timoris trina est. Cupiditati quæ in curiositate est, opponitur timor mortis: sicut enim in illa cognoscendarum rerum est aviditas, ita et in ista metu amittendæ talis notitiæ. Cupiditati vero honoris vult laudis, opponitur timor ignominie et contumeliarum; cupiditati autem voluptatis, opponitur timor doloris. »

45. TUNC VENIT AD DISCIPULOS SUOS, ET DICIT ILLIS: DORMITE JAM, ET REQUIESCITE; ECCE APPROPINQUAVIT HORA, ET FILIUS HOMINIS TRADETUR IN MANUS PECCATORUM.

TUNC VENIT. — Christus in tertia oratione confortatus ab angelo, dimisit tristitiam, agonem et sudorem sanguinem, quem sponte assumpserat, animumque ac spiritum pristinum resumpsit, atque generose totum se ad passionem composuit, ultrorque Judæ et Judæis obviam prodire se tradidit, ut dicam Lucas xxii, 41 et 42.

DORMITE JAM ET REQUIESCITE. — S. Chrysostomus ejusque assecle, Theophylactus et Euthymius, putant hoc ironice dictum a Christo, *q. d.* In hoc extremo periculo et agone tam vestro, quam meo, non est dormiendi tempus, sed vigilandi, si unquam: quare somnum excutite, evigilate, en adest Judas cum satellitibus, ad me comprehendendum: videtur enim Christus hæc dixisse accedente et fere præsentis Juda, unde sequitur: « Ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur. »

Ex adverso simpliciter ex Marco S. Augustinus, lib. III *De Consensu Evang.*, cap. IV, et ex eodem Boda, id serio dictum putant a Christo, quod scilicet compatiens infirmitati Apostolorum aliquantulum somni eis indulserit, donec, appropin-

quante Juda, dixit: « sufficit, » ut addit Marcus; et, ut subdit Matthæus: « a surgite, eamus. » Unde Græce est *καταδραστή και λυσις*, id est *dormitum quod reliquum est*, id est dormite modico tempore quod restat, usque ad adventum Judæ; Syrus, *dormite adhuc*, id est pergitte dormire, quasi Christus hæc dixerit, Juda adhuc longius a se distante, et tempus somni Apostolis concedente.

ECCE APPROPINQUAVIT HORA (ab æterno a Deo Patre fixa, et mens passioni martyriique decreta), ET (id est qua) FILIUS HOMINIS TRADETUR (Græce *καταδραστή*, id est *traditur*, id est jam jam tradetur) IN MANUS PECCATORUM — *κατ' ἄρχην*, et antonomastice, qui scilicet quales summi peccatores hominesque scelestissimi, quales erant Judæ et Judæi furentes in Christum Deum et Dominum, ut eum torquerent et necarent. Nunquam enim fuit scelestior gens, quam illa Judæica, tempore Christi; ideoque illo tempore nasci et mori decreverat Christus, ut plura et atrociora a tam scelestis pateretur. Summa enim ejus bonitas voluit certare et quasi duellum inire cum summa Judeorum multitudine, ut in ea quasi in capite malitiam omnem debellaret sibi subiecerit, imo curaret et in bonitatem converteret. Quare in eo mire resplendit divina Christi clementia, æque ac potentia, quod mox Judæos hosce tam scelestos sibi que inest, per S. Petrum et Apostolos ad se converterit, et Sanctos eosque eximios effecit, *Act. II, 41 et seq.*

46. SURGITE, EAMUS: ECCE APPROPINQUAVIT QUI VOS TRADIT. — Seditant Apostoli, et inmixti cubitis commodius dormirent. Jubet ergo eos surgere Christus, ut secum non fugiant, sed obviant Jude. Hinc patet Christum in tertia oratione exauditus et confortatum a Deo per angelum, tristitiam et agoniam exouississe, ac magno generosoque animo obviam ivisse Jude, morti et cruci. Nam, ut ait Origenes: « Vidit in spiritu appropinquantem Judam traditorem, qui nondum videbatur a discipulis ejus. » Ita undique discipulos erudit, inquit Chrysostomus, non necessitatis, nec infirmitatis hanc rem fuisse, sed dispensationis ejusdem inæstimabilis; prescibat enim eos venturos, nec solum non fugit, sed etiam obviam ivit. »

Igitur Christus hic eundo obviam hostibus suis, æque ac in tota reliqua passione sua, tria nobis maxime notanda et advertenda reliquit, scilicet: primo, innocentiam suam: Innocens enim non fugit criminis inquisitores, utpote bene sibi conscius, ideoque animosus et audax his obviam prodit; nocens vero fugit, quia conscientia eum arguit avidumque efficit. Secundo, majestatem, providentiam et potestatem suam, qua quasi Dominus ordinat et predictum hostium adventum, sed ita ut eorum furorem moderaret et dirigat, ut non amplius, nec aliud efficeret possint, quam ab ipso permissum, predictum et præordinatum fuit. Tertio, voluntatem qua ultra se Judæ offert,

Trias vero tanta in passione Christi.

Oratio Christi in hanc orationem.

Vers. 45. Marc. xvi, 41.

Vers. 43. Marc. xiv, 40.

Dormite, an a Christo dictum ironice?

ne putaretur ex infirmitate aut invitus, sed summa dignatione, humiliatione et amore liberali pro nobis pati et mori. « Surgite » ergo, non ut fugiamus, sed ut « camus » obviam Judæ, et, ut ait S. Hieronymus, « ultro pergamus ad mortem. »

Tribulationes
fieri solent
in ob-
viam.

Moraliter: docet hic Christus in persecutione et tribulatione exciandos esse animos, ac animose illi obviam procedendum. Hic enim est heroicis fortitudinis actus, qui mali imminenti atrocitatem sua animositate valde infringit, illamque ultro amplectendo domat et subigit, ac ad magna hominem disponit et præparat: longe enim facilius majoreque merito gravia tolerantur et superantur a magno animo, quam levia a parvo; sicut gigas aut vir magnis viribus pollens facilius portat pondus 40 librarum, quam puer parvarum virium portet onus trium librarum. Unde Poeta:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito;

uti leo, clausis oculis, invadit hostes, strictosque eorum gladios. Unde Plinius, lib. VIII, cap. XVI: « Cum pro catulis foeta (leona, inquit) dimicat, oculorum aciem tradit defigere in terram, ne venabula expavescat. » Crux ergo fugientem sequitur, sequentem fugit, quod vulgo de honore dicitur, sed alio respectu.

Vers. 47.
Luc.
XXII, 47.
Marc.
XIV, 43.
Joan.
XVIII, 2.

47. ADHUC EO LOQUENTE, ECCE JUDAS, UNUS DE DUODECIM, VENIT, ET CUM EO TURBA MULTA CUM GLADIIS ET FUSTIBUS MISSI A PRINCIPIBUS SACERDOTUM, ET SENIORIBUS POPULI. — Clarius id explicat S. Joannes, XVIII, 2, dicens: « Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Jesus convenerat illic cum discipulis suis. Judas ergo cum accepisset cohortem et a pontificibus et Pharisæis ministros, venit illic cum latinis, et facibus, et armis. »

ADHUC EO LOQUENTE. — Ut veritas predictionis et predestinationis ipsis de sua prodicione et passione impleteretur. Ipse enim hæc omnia ita contexit, ut malitiam Judæ et Judæorum ita apte telæ sue passionis intertexeret, ut ab eo ipsa tota partim permissive, partim positive, contexta et pertexta videretur.

ECCE JUDAS, UNUS DE DUODECIM. — « Ecce, » nota st rei novæ, admirandæ et inaudita, q. d. Ecce portentum omnibus sæculis inauditum. Ecce flagitium Judæ stupendum. Judas enim, unus Apostolorum, factus est, non tantum fur et latro, sed Christi quoque proditor et princeps latronum qui Christum occiderunt. Unde Lucas addit: « Antecedebat eos, » quasi dux et antesignanus sceleratorum.

TURBA MULTA. — Puta cohors militum Romanorum cum familiaribus pontificum et Pharisæorum, ut patet ex Joanne, cujus verba recitavi.

ET FUSTIBUS. — Græcè ἔλασι, id est lignis, tam ferratis, uti sunt haste, lanceæ, tela, quam non ferratis, uti sunt fustes; talia enim erant prisorum arma.

Vide hic stultitiam et vesaniam Judæ et Judæorum. Sciebat Judas Christum esse summum Prophetam, imo Filium Dei, qui nullis armis vinci posset, Idque principes Judæorum sæpe experti erant; tamen avaritia et furore cæci, adducunt milites armatos, ut Christo Deo vim inferant eumque violenter capiant et ligent. Vis, o Juda, Deum ipsum vincere et vincire? Visne Omnipotentem ligare, capere et rapere? Vultis, o homuli, contra Creatorem vestrum dimicare eumque armis cogere ut se vobis in manus dedit? « Avaritia enim, inquit S. Chrysostomus, illi (Judæ) furorem immisit; avaritia omnes qui ipsi servantur crudeles efficit atque atrocis. Nam, si propriam avarus salutem negligit, quid faciet de aliena? »

48. QUI AUTEM TRADIDIT EUM, DEDIT ILLIS SIGNUM, DICENS: QUEMUNQUE OSCULATUS FUERO, IPSE EST (Jesus, quem queritis, ut capiat, quem me vobis traditurum spondeo), TENETE EUM. — Syrus, ipsum prehendite; Græcè κρατείετε, id est apprehendite, occupate, capite, retinete, ne e manibus vestris, uti alias fecit, elabatur. Unde addit Marcus: « Et ducite caute; » verabatur enim Judas, ne Christus se transformando, ait ex Origene S. Hieronymus, occultaret vel effugeret, itaque triginta argenteis a principibus sibi addictis privaretur: illi enim ab eis Judæ necdum erant traditi, sed tantum promissi, ut satis colligitur ex vers. 45, ubi dicitur, « constituerunt, » id est adixerunt et promiserunt, « et triginta argenteos. »

DEBIT ILLIS SIGNUM, — ut milites Romani qui nunquam viderant, vel certe non noverant Christum, eum ex hoc signo agnoscerent, ait Theophylactus, erat enim nox; forte etiam ob vultus Christi similitudinem cum vultu aliojus Apostoli, scilicet Jacobi Minoris, qui dictus est frater Domini. Ita nonnulli recentiores, qui tamen antiquum aliquem hujus similitudinis non proferunt testem vel auctorem.

OSCVLATUS FUERO. — Origenes ait traditionem esse, quod Christus duas habuerit facies, unam naturalem et usitatam, alteram propriam et secretam, quam pro libito assumebat, qualis fuit illa quam exhibuit in sua assurgatione. Quare censet Judam hoc signo osculi designasse Christum, quia verabatur ne Christus faciem suam transformaret, ut a Judæis agnosci non posset. Verum hoc gratis dicitur, et impertinens est, tum quia Judas non interfuit transfigurationis Christi, unde alteram illam Christi faciem non vidit; tum quia, etiamsi illi interfuisset, merito timere potuisset, ne Christus mutando faciem se quoque falleret, ut eum agnoscere non posset, aut certe se occultaret et faceret invisibilem, ut sciebat eum alias fecisse. Causæ ergo osculi fuisse illa quas antea dedi.

49. ET CONFESTIM ACCEDENS AD JESUM, DIXIT AVE (Græcè χαιρε, id est salve), RABBI (Arabice aut magister), ET OSCULATUS EST EUM. — Sciebat Judas ex verbis Christi in cœna, se suamque pro-

ditionem notam esse Christo; ut tamen exterius illam coram Apostolis cæteris tegat quoad potest, fingit se Christo solum amicitie et reverentia dare osculum. Osculum enim fuit olim salutatio, ive mos salutandi, apud Hebræos, Romanos, et alias gentes, ut patet ex Scriptoribus. Unde crismile est hoc osculi symbolo Apostolos salutasse Christum, eum aliunde ad ipsum redirent. Quocirca, exemplo Christi, primi Christiani salutabant se invicem osculo casto et sancto, uti docet Tertullianus, lib. De Oratone, imo Paulus, I Cor. XVI, 20. Vide ibi dicta. Sed Judas hoc symbolo amicitie ad perfidiam et prodicionem suam scelestissime abusus est, persuasus ex lenitate Christi, ait Chrysostomus, se ab ejus osculo non repellendum; quod si repelleretur, nihilominus hoc signo osculi oblato et a Christo repulsi, eum Judæis indicaret, et ut incivilem ac inhumanum capiendum traderet. Unde Victor Antiochenus, in Marc. cap. XIV, vers. 43: « Cui lethales, ait, insidias struebat, illi intelix salutem cum osculo offerbat. » Et S. Hieronymus (vel quisquis est auctor; non enim est Hieronymus Stridonensis) ibidem: « Dans, ait, signum osculi cum veneno doli. »

Christus
tunc occu-
lam de-
dit Judæ
tibus de
venio

Porro Christus, licet vehementer sentiret dole- reque se a Juda discipulo suo tradi prodice ficto benevolentia osculo, tamen ille osculantem non respuit, nec osculum renuit, sed fraudulenter hostileque offerenti, sincerum amicumque reddidit: Primo, « ne refugere prodicionem videretur, » ait S. Ambrosius, in cap. XXI Luc., vers. 43, sed ultro ex desiderio plura et indigniora pro nobis patiendi, illam amplecti. Secundo, ut cor Judæ leniret et compungeret: « Ut plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret, » ait ibidem Ambrosius. Tertio, « ut doceretur inimicos omnes, eosque quos scimus de- seavituros in nos esse, diligere, osculum ejus Dominus non respuit, » ait S. Hilarius. Christus enim Judam, licet proditorem, non habuit odio, sed dilexit magisque doluit de ejus scelere et perdicione, quam de sua prodicione, ideoque sa- tegit eum hinc verbis ad penitentiam inflectere. Sicut enim ex chalybe, si eum silice ferias, latens elicitur ignis; sic ex Christo percusso et patiente latens emicat amor, et mirus erga inimicos charitatis affectus. Unde in tota ejus passione, præ omnibus virtutibus divinis resplenduit amor, cujus signum fuit immensus dolor. Unde illud:

Cernis ut in toto corpore sculptus amor?

50. DIXITQUE ILLI JESUS: AMICE, AD QUID VENISTI? — q. d. Si venisti ad me Judæis prodendum, uti te venisse scio, quorsum mihi adeo inimicum tam amicum das osculum? Sin vero venisti ad me amice de more salutandum, quorsum amicum tot contra me adducis inimicos? Unde S. Augustinus, serm. I de Passione: « Oscularis, ait, et insidiaris; amicum fingis cum

proditor sis. » Hinc Lucas addit Christum subdisse: « Juda, osculo Filium hominis tradis? » Quæ verba majestatis æque ac charitatis plena, findere debuisse cor saxum Judæ, nisi ille ipsum instar adamantis scelere obstinasset et indurasset. Porro, Syrus veritatem, ob id venisti, scie mi? Scilicet ut me magistrum, Dominum et Deum tuum Judæis tradas et prodas? Arabicus: Heus! ad quid venisti?

Mirum fuit hoc Christi mansuetudinis et patientie exemplum, quo Judam furem et proditorem tribus annis toleravit, nec apostolatui aut procuracione privavit, nec ulli ejus scelus utpote occultum patefecit. Hoc factu docuit nos idem facere, ut injuriam nobis illatam non vindicemus, sed amore vincamus.

Christum imitati sunt Sancti, ac nominatim S. Martinus, qui mira mansuetudine omnes sibi injurios tolerabat et superabat. Unde cum Britius ejus clericus ipsum assidue calumniaretur et persequeretur, tanta lenitate ipsum sustinuit, ut cæteri ejus famuli mirarentur, clericum tam impium ab Episcopo suo non castigari, nec officio privari. Quibus ille: « Christus Dominus, ait, sustinuit Judam proditorem, ego non sustinebo Britium calumniosum! » Hæc sua lenitate Britium convertit, et apud Deum meritum, ut Britius, mores corrigens, fieret vir sanctus sibi que in Episcopatu succederet, uti eadem ipse prædixit. Ita Sulpitius, in Vita S. Martini.

Hic recto historie ordine intextena sunt que supplet Joannes de Judæis a Christo prostratis in terram. Sic enim ait, cap. XVII, vers. 4: « Jesus itaque sciens omnia que ventura erant super eum, processit, et dixit eis: Quem queritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Hic est Jesus: Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, et occiderunt in terram. Iterum ergo interrogavit eos: Quem queritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis quia ego sum; si ergo me queritis, sinite hos abire: ut impleteret sermo quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidisti eis quemquam. »

Ut ergo Joannem cum Mattheo cæterisque concilies, hic fuit rei gestæ ordo: Judas ne videretur esse proditor Christi, aliquot passibus turbas, que secum venerant ad capiendum Christum, antecessit, ut ipse videretur non esse ex eis, sed quasi aliunde redire et fortuito cum adventu turbarum concurrere: unde quasi peregre rediens osculatus est Christum. Christus osculum præbuit, sed ut eum compungeret, ait: « Amice, ad quid venisti? » Utique in meam necem, sed magis ad tuam perdicionem jurgemque gehennam, atque ut eum confunderet, addidit: « Juda, osculo Filium hominis tradis? » Deinde Judas post osculum retrocessit ad turbas a se adductas, ita ut Jesu animose obviam turbis hostilibus prodeunte, Judas

Mira
Christi
in Juste
mansue-
tudo.

Enistat
causa S.
Martini.